



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

258 lus patronatus, cur item non.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

vnquam clericus beneficium suum ad cuius titulum fuit ordinatus resignet, nisi constiterit eum aliundè satis commodè viuere posse, & vt alioqui resignatio sit ipso iure nulla. Quare cum nec hospitalium in beneficia dari minime solitorum præfectura, nec beneficia manualia seu præstimonialia, nec decimarum collectio, nec vlla similia iura cuiquam concedantur ab Ecclesiis in perpetuum seu ad vitam, sed instar tutelæ vel curæ dumtaxat ad tempus, d. Clementina 2. §. vt autem. de relig. domib. non est mirum si beneficia cum talibus permutari nequeant. Posui solam decimarum collectionem, quæ potest & laicis committi, quod alioquin ipsæ decimæ, sicut & primitiæ, & oblationes, & sepulturæ, sint pars quædam ipsorum beneficiorum; de quali parte cum beneficiis permutanda non satis aptè quereretur cum beneficia diuidi non debeant c. maioribus. de præbend. Eodemque modo, de collectione nimirum decimarum, sumi debet quod ad Bonifacianam verb. *Beneficia* de permutatione beneficiorum cum decimis quærebatur. Atqui patronatus ius est, inquis, perpetuum; cur ergo cum beneficiis permutari nequit? quia non datur in titulû beneficij vnde quis viuere possit, sed absq; magnis emolumentis plerumque solius honoris causa competit etiam laicis vt actanquã vel fundatoribus, vel dotatoribus, vel restauratoribus; qui tamè subinde propter ægestatē debent ab Ecclesiis ali. quæ quidē res nihil habet cum beneficiis Ecclesiasticis commune.

256  
Tituli alienatio quatenus  
Cõcilio Trid.  
prohibita.

257  
Hospitalia, manualia, præstimonialia, decimæ, cur cum beneficiis non permutantur.

258  
Ius patronatus, cur iure non.

259  
*Patrimonij  
 titulus loco  
 beneficij cur  
 nequeat per-  
 mutari cum  
 beneficio.*

260  
*Beneficia ec-  
 clesiastica du-  
 plici nomine  
 dici & esse  
 perpetua.*

Quid si quis igitur sub patrimonij sui titulo fuerit ad sacros promotus ordines, ad quod etiam iure nouissimo certis casibus permittitur iuxta Concil. Trident. sess. 21. reformat. 2. nunquid admittetur eius tituli (fungentis vice beneficij) permutatio cum ecclesiastico beneficio? Beneficia Ecclesiastica duplici nomine debent esse perpetua, primum absolute & per se, nimirum fundatione quadam in perpetuis ipsius Ecclesie bonis consistente remanenteque, deinde respectu singulorum possessorum duratione quadam stabili ad cuiusque possessoris usque vitam: quorum duorum prius quonia deest patrimonio seu titulo patrimoniali, necessariè fit ut nullo modo permutatio ni sit hic locus. quò facit & alia ratio prægnantior, quòd beneficiarius ille qui patrimonium alterius pro beneficio suo consequeretur ex causa permutationis, nihil reuera depræhenderetur habere mortuo altero cuius id patrimonium fuerat, ut potè quod mox ad heredes eiusdem reuerteretur, ut ad Ecclesiam nõ pertinens; immò simulatque illi qui sub titulo patrimonij sumpsit sacros ordines aliundè prospectum fuerit de beneficio Ecclesiastico vel aliter, istud patrimonium exoneratur, & ad pristinam redit naturam, ita videlicet ut possit alienari. d. reformat. 2. Quibus accedit quòd nemo sit in tali casu collator ordinarius qui permutationem talem posset effectui dare, cum patrimonium hoc in collatoris vllius potestate non sit, ne volente quidem eo cuius est  
 patri